

*Condidit & cineres ac plenam tabe medullam  
 Purpureo voluit dissimulare sinu.  
 Hen mihi quot cineres Patriæq; incendia terræ,  
 Clausa Palatino delituere globo.  
 Quæ nisi proiecto sedasset Boica scuto,  
 Fortè foret mæstus Patria tota cinis.*

Sed bene factum. licuit nobis postliminio sub tutelâ  
 tanti *Principis* de salute *Patriæ* clementius sperare; acce-  
 dat licet iuncta *Politismo*, mater *Hæresis*: & quidquid  
 veneni vtero prægnante collectum est, in *Patriæ* exitium  
 perniciemque effundat. Non veremur venena, quibus  
*Tanta Manus* medicinam fecit.

*Nec timet Hæreticum Tellus Germania virus,  
 Exiit ut Bauarus viribus Hæreticum.*

Quod ut virtuti tuæ accedat,

DEVICTA HÆRESI,

TROPHAEVM III.

IN MALO PERSICO

Placet demonstrare. Hoc mortale in *Perside* aiunt;  
 extra Patriam nemini nocet. Inclementius malum *Calua*  
*Hæresis*, vbique pestifera est. Nos eam ne hosti quidem  
 optamus. Quò exportanda ergo? si nocere pergat, sciet  
 quò

MAXIMILIANVS BOICVS

REBELLIS OSOR HÆRESIS.

Quid enim? hanc pestem patriæ ipse Pater patriæ amet?